

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 754

**Auteur(s) :** Rouen (official)

**Bénéficiaire(s) :** Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1257, 21 novembre

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord entre les moines du Tréport et Nicolas, curé d'Aubéguimont, au sujet des dîmes de cette paroisse

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CXCVII, p. 220-222.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris., officialis Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum proponeret in jure coram nobis magister Nicholaus, rector ecclesie de Aubegnimont, contra viros religiosos ..., abbatem, et conventum de Ulteriori Portu, quod dicti religiosi erant in possessione, vel quasi, percipiendi terciam partem tocius decime fructuum crescentium in omnibus terris infra fines predictae parrochie sitis ; unde, cum non esset eis jus percipiendi decimas in predictis, utpote que ad dictum rectorem et ecclesiam suam pertinebant jure communi, petebat idem rector, nomine ecclesie sue predictae, dictos religiosos condempnari et compelli ad dimittendum eidem, et ecclesie sue, percipere dictam decimam totam in dictis terris, et eisdem religiosis, super perceptione dicte decime, in posterum perpetuum silentium imponi, et eandem decimam dicto rectori, nomine ecclesie sue, diffinitive adjudicari ; maxime, cum dicte terre essent novalia, utpote de novo redacte ad culturam, et cum dicti religiosi fuissent et essent male fidei possessores, petebat ipsos condempnari et compelli ad reddendum sibi, et ecclesie sue, ducentas libras turonensium, pro arreragiis dicte decime ab eis percepte : tandem, inter dictos religiosos et dictum presbiterum, de consensu earumdem partium, amicabilis compositio intervenit in hunc modum quod, cum prefati religiosi de Ulteriori Portu medietatem decimarum quorundam novalium, faclorum nuper in eadem parrochia, ac religiosi viri..., abbas et conventus Foucardi Montis aliam medietatem, hujus siquidem medietatis, quam percipiebant sepe dicti viri religiosi de Ulteriori Portu, prefatus presbiter et ejus successores unam habeat medietatem in futurum, dicti religiosi de Ulteriori Portu reliquam in perpetuum habeant medietatem ; simili modo et de novalibus omnibus in eadem parrochia de cetero faciendis, exceptis quibusdam novalibus veteribus, in quibus dictus presbiter et ejus successores percipient terciam partem, prout actenus ipse et predecessores sui percipere consueverunt, et dicti religiosi et eorum successores aliam terciam partem percipient eorumdem. Promiserunt etiam partes predictae, coram nobis, predictas conventiones omnes et singulas fidel[iter] et inviolabiliter observaturas, et de cetero contra ea[s] vel aliquam earum in aliquo foro ecclesiastico vel seculari non venturas. Obligavit etiam idem presbiter se, et successores suos, ad observandam compositionem antedictam. Voluerunt siquidem, et expresse concesserunt coram nobis partes predictae ut dicta compositio per reverendum patrem O., Dei gracia Rothomagensis archiepiscopum, confirmetur. In cujus rei testimonium, presenti scripto sigillum curie nostre,

ad instanciam dictarum partium, duximus apponendum. Actum die mercurii ante festum sancti Clementis, anno Domini M°. CC°. quinquagesimo septimo. Valete.